MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (PARS VI: 1.11. 1.12.)

Melk, um 1470 Seite 7r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36450
Copyright: Melk, Benediktinerstift

ta corpora. Alia autem die et ipsa capita
invenit illesa. Que collegit et iunxit
corporibus sanctis. et sepeliunt iuxta corpus
sancti cesarii diaconi et martiris sub die
nonarum novembris. Passio S. marie virginis

Adrianus et antoni-
nus imperatores per omnes
populos quos regebant
legem miserunt. cuncto ge-
nere religionis viros
ad sacrificia debere compelli. rebellibus
vero penam mortis intendi. Illo itaque tem-
pore maria probata ovibus domini meritum
singulare perpessa est. Namque cum ter-
tulli principalis esset ancilla nobilita-
tem deo mentis benignitate vincebat.
et christo se probabat ingenuam. sic scriptum est.
qui in domino vocatur servus. libertus est domini.
Natale itaque filii celebrante tertullo. cum
in pluribus idolis vanisque symulachris ho-
stias immolaret. maria incumbebat ieiu-
niis. et sociam suam ne proderet domine. occul-
ta simulatione fallebat. Diu tamen
insidiante conserva latere non potuit.
prodita mox vocatur ad dominam. dicitque ei.
Que est causa ieiunii? An occasio
ista tristicie est. quod natum tui nuper domini per-
horrescas? Maria dixit. Nunquid no-
vum aliquid nunc usurpo? Semper in
se hec observata ieiunia. Quomodo
tristicie illud ascribitur. quod consuetudi-
nis causa servatur? Christiana sum christiano-
rum genere: hereditarius mihi iste cultus
est christi. Tunc imperante domina ut cibi a-
liquid hauriret. Maria plena spiritu
sancto celestis esce memor invocato deo
sic clamavit ad eam. Corpori potius impare
non anime. plus deus meus meretur quam filius
tuus. Delectet illum turpis cantus. et
saltatus obscenus: et quicquid ad delicias

parvulorum diligens fingit cura nutri-
cum. Dei vero non vanus et inanis est
cultus. sed plenus felicitatis et gratie.
Tuenda est castitas. amanda sobrie-
tas. esca fugienda est. Ad hec domina in- *eodem die.*
dignatione inflammata. verbera ei gravia
nisi dicto obtemperet pollicetur. et ipsi etiam
si repugnet penam mortis intentat.
Illa respondit. Fac quod vis. omnia opto perferre
pro christo. Sed dum altercatio ista verborum esset
cogentis domine et repugnantis ancille.
pedem a foro referens. Tertullus ingreditur.
qui ab uxore rebus omnibus exquisitis
inauditam statim flagellari precepit an-
cillam. et afflictam diutine verbere in ab-
dita membri parte retrudi. administrato
modico et vili cibo. quod non saciet fa-
mis. sed deficientis quotidie anime
pars extrema servetur. Sed devota mens
christo frangi hoc modo non potuit. quin
etiam quotidianis orationibus incubabat.
ut facultas esset maiora tolerandi.
Emensis vero xxx diebus presidi nunciatur
tertullum principalem illius civitatis occul-
tare in domo sua christiane religionis an-
cillam. quod imperatorum precepta prohibebant.
Statim ad tribunal tertullus addu-
citur. et primoribus convocatis assistente
vulgi corona recitari legem iussit ex
codice. cuius hec forma est.

Maximianus adrianus et antoni-
nus pii felices augusti. omnibus
nostro iure viventibus salutem. Pervenit
ad nos varietas religionis. a quibusdam
nuper inventa. non nulli enim esse per-
hibentur. quibus nec sacrificia cordi sunt. nec
cultus ille quem colimus. per quos sine du-
bio nisi cito pene formido succurrat.
oblitteranda est omnis antiquitatis credu-
litas. et veneratio extinguenda maiorum